

DECVS ET TVTAMEN IN ARMIS.

CLARISSIMO VIRO DOMINO D.

LEONARDO GOVLAS

COMITI CONSISTORIANO, SERENISSIMI PRINCIPIS GAST. Fr. REGIS VNICI A SECRETIS.

BENEFICIIS non vtor ceu floribus, tandiù gratis quandiù recentibus; En fructus grati animi, tuæquè beneuolentiæ deditissimi, obseruantiæquè in te meæ autoramentum. Sic tuæ benignitatis solem, (quanquam in vmbrâ modestiæ tuæ) suspicio, ac veneror. Ingenium solis reuerà imitatus es, qui vt lucis beneficium, quô nullum est inter humana diuiniùs, terris largiatur, non expectat hominum preces, sed vsque adeò moras odit in cursu beneficentiæ, vt vota mortalium anteuertens, precesquè præueniens plerumque dormientibus oriatur. Quod ad me attinet in hac εὐεργεσίας scientiâ, in me ornando quod primum, quod vltimum, quod intimum, quod optimum, non tam oculis vides, quàm manibus oculatis. Immortalibus me & nunquam ab hac virium imbecillitate sustentandis beneficiis onerasti, damnum indemne præstans, dum munera indulges, & simul officiosum compensandi modum, quando rem illam effecisti & perfecisti, cuius nomine apud me distrahi nullo modo poterit Medicinæ cultus à tuo. Perge de me bene mereri, perge inopiam non fortunæ magis quàm ingenii subleuare. Beneficii erga me tui magnitudinem inde æstimo quòd Medicinæ Adoream tibi sum perpetuò debiturus; & hanc ideò lemniscatam Lauream in sinum splendoris, ac nominis tui defero, Clienti tuo quod sponte præsidium spopondisti id perpetuum, id ratum esse velis, oro. Tuere artificem, qui Artem amas, cuius apud ægros vsus, apud sanos honor est, προστάτος tuæ decus præstolabor, & tuâ præsentiâ condecoratus, ac commasculatus perrumpam Acheronta difficultatum. Hic desino, & omen capio securitatis & tutelæ tuæ eximiæ.

Tuus totus, & ideò tutus. GAB. DE BRIOVDE.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS VIGESIMA OCTAVA FEBRVARII.

M. GERMANO PREAVX Doctore Medico, Præside.

An vini quam aquæ potus salubrior? 889

QVÆ in nobis humida sunt & natiui caloris perpetuò depascentis actione continuâ siccantur in dies, citò contabescerent, ni potione ceu præsenti remedio humecta reficerentur; potionis quippe princeps vtilitas est siccitatis ablatio, & humidæ in nobis substantiæ pereuntis & collabentis instauratio; quin & quod nutriturum est, potio diluit in ventriculo, ac vt in partes singulas distribui possit faciliùs, fluxile reddit & permeabile; sic Chymus ex cibis solidioribus genitus in vasa deriuatur, & eas, quibus iecur conspergitur, angustas & implexas penetrat venas, dùm tenui & aquosâ humiditate, tanquam vehiculo permiscetur.

EX omni liquidorum genere, quæ dictos vsus afferant, vinum & aqua maximè commendantur, & in communi omnium fermè gentium vsu posita sunt; hæc quòd frigida humida tactu & interiore temperie, syncera si fuerit, limpida & defæcata, omnísque alienæ qualitatis expers, leuis & quæ citò calescat & refrigeretur, plurimam partem confert ad sanitatem, sitim extinguit, ac dum intrò subit, inanésque corporis implet capacitates, humectat & exuperantem calorem obtundit, cibis extrinsecùs præparandis, elixandis, in ventriculo diluendis, permiscendis, & ad partes singulas deducendis est accommodata; nec tamen quod humidioris substantiæ periit vnquam resarcit, aut in corporis substantiam abire potest.

VERVM aquam, quæ noxâ careat, vix vllam inuenias, siquidem quæ coctu facilis ventrem exoluit & eliquat plus satis; quæ difficilè coquitur, tardè permeat, vertitur in bilem; à calidâ voluptates & illecebræ, sed carnium mollicies, neruorum imbecillitas, mentis stupor; frigida dolores affert, neruis inimica, ac nisi cibus vim eius retuderit, pessima est, & vires prosternit: fontana quæ omnium optima censetur, diù moratur in ventriculo & ægrè superatur, pluuialis facilè putrescit; putealis est putredinosa; fluuialis morbosissima; lacustris & palustris insaluberrimæ, prorsúsque cauendæ ceu pestilentes: adeò vt aquarum nulla sit, nisi vinum admiscueris, quæ non difficilè conficiatur, tardè descendat, fluctuationes pariat, in flatum mutetur & corrumpatur, ventriculi robur etiam calidioris exoluat, calorem natiuum imminuat, ac penè suffocet, sitim, quam ad tempus fefellerit, irritet.

VINVM, succus carnis eius fructus qui ex vite est, vt alimentorum præstantissimum, sic potuum meritò princeps habendum, quòd eam labem quæ ab alio potu nostris corporibus impressa fuerit, omnem eluat, humidam partium substantiam insitam foueat, cùm effluxerit, instauret, ac nonnunquam exaggerans augeat; quin & sitim, seu interiore ventriculi tunica inarefacta, vel imbuta humore nitroso & acri, seu exhausta partium humiditate contigerit, citra vllam iniuriam ventriculi compescit, cibos in eo diluit, eiúsque seruato robore, coctionem iuuat, fastidium abigit, & stomachi vires confirmat, dissolutiones quauis ex causa ortas, ceu cardiacorum optimum cohibet, humorum reliquias, quæ vim obruunt appetendi, absorbet, succorum quibus corpus alitur promouet anadosim, ac ne quid ei desit ad sanitatem conseruandam, vrinam mouet, sudores exciet, somnum conciliat, bilis amaræ mitigat acrimoniam, mentem exhilarat, placidos mores inducit, pellit mœsticiam, fortes facit & audaces, venerem sexus vtriusque languentem excitat, & fœcunditatem ab aliis remediis frustra quæsitam, sæpe restituit.

QVIN & vinum nullum est inuenire, quod ad tuendam sanitatem suas non obtinuerit dotes, easque præstantissimas; fuluum ad coctionem succíque bonitatem primas tenet, flauum est calidissimum, rubrum gignendo sanguini omnium est accommodatissimum, nigrum corpora quauis ex causa extenuata, pleniùs alit; album mouet vrinas & sudores; fragrans & odorum spiritibus reficiendis aptissimum; aluum humectat dulce & promouet sputum, austerum ventriculum roborat astringendo, bilem mitigat, fluxiones prohibet: tenue crassos humores incidit & obstructiones ab eis ortas omnium fere morborum parentes expedit; aquosum quia imbecillum febricitantibus, neruis & cerebro commodum. Generosum roborat, corpusque vehementer calefacit, venerem gemino stimulo prouocat; adeo vt omni ætati, sexui, temperiei, tempestati, morbis non paucis, suum ex arte possis vinum præscribere.



Ergo vini quam aquæ potus salubrior.

Proponebat Lutetiæ GABRIEL DE BRIOVDE Aruernus. A. R. S. H. M. DC. XLI.